

ascitatur et manu erigitur : adolescens extra portam aliquanto majori opera, quia tangi debuit locus et sisti portitores : Lazarus adhuc majori cum impendio ; turbat enim se Dominus et lacrymatur prius, non quod his opus haberet, sed ut nos doceret peccata graviora graviore indigere remedio, ita ven. Beda.

Porro tria egit Dominus in suscitacione hujus puellæ ; clamavit : *Puella tibi dico : Surge, tenuit*

manum ejus, jussit ei cibum dari. Clamat Deus per conciones aliasque pias admonitiones in cor peccatoris, ut surgat a peccatis : erigit eum manu, cum absolvit penitentem manu sacerdotis et erigit a morte ad vitam animæ : jubet ei cibum porrigi, in s. communione, quæ confortat hominem, ut vitam illam conservet, et in bono perseveret.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

FOEDO LUXURIE MORBO REMEDIA DEPRONUNTUR.

I. Fuga. — II. Sensuum custodia. — III. Sobrietas. — IV. Laborum exercitatio. — V. Mortis recordatio. — VI. Precatio assidua. — VII. Dignus et frequens s. communio usus.

THEMA.

Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. IX.

Mulieris hujus morbus quid mystice designet, exponit ven. Beda, in cap. V. Marci, et Haymo episcopus Halberstadiensis in hodiernum evangelium, dum aiunt, fluxum sanguinis denotare : *Superfluitatem libidinis in carnali ardore libidinoso.* Ratio non una est : ex eodem, in primis, impuritatis fonte manat sanguis et semen : fluxus uterque fœdus est ; sed prior cum dolore sine peccato, posterior cum voluptate sed peccaminosa : tanto fœdior altero, quanto abominabilius est peccatum defectu naturali : denique, uterque morbus difficilem admittit curam. Bona illa mulier omne suum peculium in medicos expendit, nec tamen melius habuit, sed deterius, uti testatur Marcus, cap. V. Libido etiam tale vitium est, quod difficile sanatur. Nihilominus tamen, quia prorsus incurabile non est, remedia inveniuntur, quæ si debite adhibeantur, expugnare illud possunt, non secus ac vestimentum Christi stitit fontem sanguinis laboranti feminæ. Ea igitur nunc depromamus.

I. Præcipuum, solidissimum atque omnium efficacissimum omnium sententia est *fuga*. Quod in primis indicat apostolus, I. Corinth. VI. cum ait : *Fugite fornicationem.* Quem locum adducens S. Augustin. serm. CCL. de temp. « Cum apostolus, inquit, omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non

dixit : Resistite ; sed : Fugite fornicationem. Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsentem resistere, libidinem fugiendo superare. » Rationem exponit S. Thomas, II. II. q. XXXV. art. I. ad IV. quia, experientia teste, tanto magis homo libidine incenditur, quanto magis particularia de ea considerat. Nimis enim vehemens et acre est hoc vitium, maximo cum impetu et furore carnem invadens, instar furiosæ belluæ. Quare, sicut fugere ejusmodi feram non est dedecoris, sed rationis, ita et fugere libidinis occasiones atque incursus. Quemadmodum enim Josue per insidias expugnaturus urbem Hai, fugam primo arripuit, postea ex insidiis eam cepit, Jos. VIII. magna sua gloria : ita et in hoc castitatis certamine gloriosa est, ut exponit in eum locum Origenes, homil. VIII. *Ista, inquit, fuga est, quæ habet salutem : ista fuga virtutis est : ista, fuga beatitudinem confert.* Neque vero juvenes primi in ea fuga, sed senes fuerunt, in fronte exercitus, ut ibi dicitur : *Ne viri robusti turpe putarent fugere, sed senum auctoritate revertentur,* inquit Cajetanus. Minus malum est fuga salutem sibi parare, quam in pugna perire : quemadmodum quidam nostri temporis miles, Piccininus nuncupatus dixit : *Minus malum est dici : Piccininus hic se a bello subtraxit, quam hic victus jacuit.* Qui cum homine sordibus oppleto luctatur, quamvis eum prosternat, immunditiam tamen contrahit ex illius contactu : ita qui cum luxuriæ vitio resistendo pugnat, mentem suam cogitationibus saltem immundis aliquatenus collutulat, quamvis illud superet. Præstat igitur leporem et columbam esse in hoc certamine, quam leonem et accipitrem, qui ex capta præda eruenta reportant membra, ora vel rostra. Vicit hac pugnandi industria et quidem gloriose, castissimus ille Joseph, tot laudibus affectus a ss. patribus, Genes. XXX. Fugiendæ

igitur in primis impuræ societates et loca suspecta. Bellici tormenti usum habent Gotthi, quod *blidam* vocant. Eo, fundæ instar, gravissima pondera emittuntur. Tradunt olim in obsidione urbis Calarmensis anum Gottham in tormenti funda, quietis captandæ gratia, se collocasse, et incaute soluto obice, per aerem in hostilem urbem emissam, miro eventu in fœni struem decidisse, et in multos annos supervixisse, Olaus, I. XXI. c. XXXIV. septent. regionum. Ubi cubas, ubi sedes, adolescens, quando inter puellas et lenas recumbis et discumbis ? In hujusmodi tormenta et blida te incaute collocas, ubi levissimo impulsu excutieris in hostilem urbem, in ergastulum dæmonis, unde saltes in gehennam : neque in molle fœnum decides, sed in ignem æternum.

II. Sensuum custodia, præsertim oculorum. Hoc præscribit in primis Eccles. c. IX. dicens : *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueis illius. Cum saltatrice ne assiduus sis : nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore ejus.* Nam ut ait B. Nilus abbas, orat. II. de luxuria : *Mulierum aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animam et venenum immittit, et quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit, atque huic vulnere nulli ad declinandum apti clypei reperiuntur.* Testes sunt illi *fili Dei*, h. e. filii Seth ob justitiam, temperantiam et sanctitatem celebres, in quibus proinde Dei imago clare relucebat ; qui demum, ut dicitur Gen. VI. *Videntes filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi ex omnibus, quas elegerant,* et commiserunt talia scelera, quæ ut eluerentur, diluvio opus erat. Testis etiam David, et ipse sanctissimus, qui hac sagitta vulneratus fuit. « Ut enim ignis (inquit D. Chrysost. hom. III. de verb. Isaia : *Vidi Dominum*) ubi fœnum aliquod aut culmen corripuerit, nihil moratur, sed simul ac attingit materiam, lucidam accendit flammam : itidem et ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum introitum, elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animam, etc. » Hinc edoctus Job pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine, Job XXXI. Singularis etiam in hac cautela fuit S. Hugo episcopus Gratianopolitanus ; qui etsi per quinquaginta duos annos crebro feminarum nobilium confessiones exciperet, ita tamen oculos ob eis avertēbat, ut nullam de facie, si forte obviaret, agnosceret. Cumque aliquando præpotens aliqua fœcatam faciem in mutuo colloquio insolenter ostentasset, interrogatus postea de hoc, quare eam non arguisset,

respondit, se ejus faciem minime vidisse, in vita I. april. ap. Sur. Par ratio est de colloquio et maxime de contactu, ubi maximum cernitur periculum. *Viret herba quæ aquis propinqua est : libidinis affectus in muliebri colloquio,* ait B. Nilus, orat. de fornicatione : et D. Ambrosius, lib. I. de pœnit. cap. XV. *Verba inquit, petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est.* Rarum et fere inauditum est quod scribit B. Petrus Damiani, lib. II. epist. ep. XVIII. ad Desiderium car. « In quodam monte orientis, inquit, lapides igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur pyroboli. Qui nimirum dum a se invicem procul sunt, non accenduntur : si vero femina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur ; ita ut omnia quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus : ne de conspecta forma flamma prosilia, quæ in nobis non montis sed mentis fruteta pervadat. »

III. Sobrietas, seu ebrietatis fuga. Hoc remedium exhibet apostolus ad Ephes. V. † XVIII. *Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria.* Causam assignat D. Hieronymus, epist. LXXXIII. ad Oceanum : *Quia venter mero æstuans cito despumat in libidines :* et D. Basilius, lib. de vera virgine. « Ecce, inquit (Job, cap. XL.) virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus in umbilico ventris. Venter enim distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra ex humoris redundantia in profundo ferventis ad propria et naturalia officia moveri. Quippe superior venter suppetit illis incentiva libidinis : » et S. Greg. Naz. in sentent. « Sic natura comparatum est, ut immodicam satietatem libido comitetur. Ut influens materia flammæ vires addit : ita vinum languentem libidinem excitat. » Quare Cyrillus Alexan. in Levit. I. VII. luxuriam appellat : « Primum genitam ebrietatis filiam. » Exempla adducit S. Hieron. in epist. cit. Noen et Lothum. « Noe, inquit, ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat : Loth, per tumultantiam nesciens, libidine miscet incestum, et quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. » Quare qui libidinem coercere cupit, crapulam devitet. Festive Albertus Magn. serm. in dom. I. quadrag. ait : « Castellanus fama subactus, castrum trahit ad libitum impugnantis, sic luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis et rationis tradit. » Nabuzardan princeps coquorum Nabuchodonosoris destruxit muros Jerusalem, uti legimus IV. Reg.

XXV. ergo vicissim sobrietas destruet muros Babylonis, et impudicitia. Pulcherrimum hujus rei exemplum refert Fab. Justinianus in c. IV. Tobiae, ex speculo exempli. dist. X. ex. XIV. de quadam speciosa et nobili muliere, quae, absente marito, a quam plurimis desiderata et tentata, diu castissime restitit; reportatis tamen victoriis audacior effecta liberior cum viveret, non multo post misere quemdam, Dogmarum nomine, juris utriusque doctorem turpiter adamare cepit; cumque vehementi astu concupiscentiae ageretur, nesciretque modum, quo concupiscentiam explorare posset libidinem, fronte eum neregreticia missis nuntiis, ipsius fingens se egere opera, ad se introducit, adulterumque detexit amorem. At continentissimus cum esset Dogmarus, miserabile ducens tantum suae civitatis decus, tam indebitis amoris procellis agitari, ut et seipsum ab illa expediret et illius simul mederetur infirmitati, se finxit per annum vovisse panem tantum et aqua jejunaturum, ob nescio quam seditionem, a qua mire se ereptum dicebat: quo non expleto, se neque illi, neque alii mulieri ex voto satisfacere posse dixit. At, inquit, cum nonnisi sexaginta mei jejuni dies supersint, quos etiam juxta formam valeo, si tu me amas, dimidiam eorum partem pro me jejunandam sume; his enim diebus expletis, simul erimus. Quam conditionem mulier, amoris impatiens cum prompte excepisset, jejunium cepit; a quo ita post paucos dies debilitata est, ut ad se rediens, vehementer doluerit de concepto et mente patrato scelere, cumque etiam simul cognovisset, jejunium ad medicinam sibi a prudenti viro datum, haec ad eum accersitum verba fecit: *Gratias tibi ago, sapientissime viro- rum, qui, et honori meo et pudori providisti: vale, et me tibi debitricem teneto, quia tuo consilio deferbuit ardor, et marito revertenti me castam servasti.* Quomodo enim fame ferociores equi domantur; ita caro nostra, quae impinguata recalcitrat, jejuniis domita mansuescit. « Si jumento insideres, inquit Augustinus, si equo uteris, qui gestiendo posset praecipitare, nonne, ut securus iter faceres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares, quem freno non posses? Caro mea jumentum meum est, iter ago in Jerusalem, plerumque me rapit, et de via conatur excludere; vita autem mea Christus est, ita exultantem non cohibebo jejunio? » Haec August. in tr. de util. jejunii, tom. IX.

IV. Labor et exercitatio honesta ac continua. Hoc remedium suadet D. Hieronymus in primis, ep. IV. ad Rusticum scribens: *Si tibi ipsi attendere a libidine optas, semper aliquid boni*

operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum. apostolus quidem monet ad Eph. IV. *Nolite locum dare diabolo.* Quis vero magis locum ei praebet, quam otiosus? Hinc enim fratres in Aegypto tam addicti erant laboribus in vita eremitica; quia dicebant, laborantem monachum uno daemone pulsari, otiantem vero innumeris, apud Cassian. l. X. instit. c. XXII. Labor itaque murus est civitatem animae custodiens ab incursu daemonum: otium perforat murum et praebet illis aditum. Praebuit certe in Sodomitis, ut testatur Ezech. c. XIX. ubi inter alios libidinis ejus fomites, otium recenset. Praebuit in Davide, qui: *Et tempore, quo solent reges ad bella procedere, remansit in Jerusalem; cumque surgeret de strato suo post meridiem, et deambulet in solario domus regiae, vidit mulierem, etc.* II. Reg. XI. Sic lapsus est in adulterium: cujus prima radix fuit otium et desidia eo tempore, quo ad bellum procedendum erat; quo si perrexisset David, non habuisset spatium cogitandi de muliere. Milites antiqui non nutriebant barbam, ne per illam in conflictu apprehensi ab hoste tenerentur et caederentur. Promissam hanc barbam otium parit, qua daemon non difficile apprehendit hominem et sternit in libidinem. Desine exercere agrum; statim videbis exuberantem in spinas et urticas aliasque inutiles herbas, tametsi nihil in eo semines. Trade te ipsum otio, et mox deprehendes agmen immensum pessimarum cogitationum et cupidinum. Versa et vexa te ipsum laboribus; et evanescent lolia illa. « Erat quidam frater in eremo, inquit Ruffinus Aquileiense presbyter, apud Rosweid. in vit. pp. l. III. n. XV. habitabat autem in loco, qui dicebatur Cella, et impugnabant eum daemones in passione fornicationis. Cogitavit autem apud semetipsum dicens: Quia forsitan oportet me magis in opere manuum laborare, ut extinguatur carnalis sensus meus. Erat autem idem frater arte figulus. Exurgens autem fecit in luto, et plasmavit quasi figuram mulieris, et dieit cogitationibus: Ecce uxor tua, necessarium est ergo ut super consuetudinem addas in opere manuum tuarum. Et post aliquantos dies iterum similiter fecit ex luto, et plasmavit quasi filiam sibi, et dixit cogitationibus suis: Ecce generavit uxor tua filiam; necessarium est ergo ut magis magisque amplius exerceas opera manuum, ut possis pascere et vestire et te, et uxorem et filiam tuam; et ita praenimio labore maceravit corpus suum ut non praevaleat jam supportare tantum laborem. Tunc dixit cogitationibus suis: Quia si non praevales nimium istum sustinere laborem neque mulierem requiras. Videns autem Deus

fervens propositum mentis ejus pro certamine castitatis, abstulit ab eo molestiam impugnationis daemonum. Et glorificavit Deum super magnitudine gratiae ejus. »

V. Mortis recordatio. Hanc suggerit nobis D. Basilius, hom. XI. in hexam. ita scribens: « Cogites velim membra haec tua, quae nunc velut subsultant ardore libidinis, post aliquantum desitura esse, ipsi nimirum dissolutis membris et in terram resolutis. Fac naturae memineris, et ecce omnis illa ad improbitatem sectandam affectio pessum ibit. Jugis haec cogitatio salutare quoddam amuletum est, adversus quodcumque peccatum. » Pluribus hanc medicinam alibi probavimus; solum id nunc dicemus, quod scribit S. Isidorus Pelusiota, l. II. epist. ep. LIII. in hunc modum: « Cum aliquando juvenis quidam ad libidinem propensus ac mulierum servus, pulcherrimam virginem conspexisset, ejusque amore captus fuisset, atque, quo cupiditate sua frueretur, nullam non machinam movisset; illa principio quidem ejus postulatum repudiavit. Nam et nobilis et casta erat, seque et animam et corpus ab omni libidine intactum servaturam esse Christo promiserat. Ut autem certior facta est eum propterea furore ac rabie praecipitem agi, rationem excogitavit, per quam et pudicitiam suam incolumem retineret, et ipsius ignem extingueret. Attonso enim, vel, ut rectius loquar, abraso universo crinium ornatu et elegantia, facieque sua cinere aqua promixto delibuta, eum ad se accivit: eique cum ingressus est, dixit: Tunc ad deformitatem amas? Ille vero tamquam ex furore revocatus, non modo libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti postea castitatis amore flagravat. » Bene ad hoc propositum S. Gregor. l. XXVI. mor. c. XXIX. ait: « Nihil sic ad edomandum desiderium appetituum carnalium valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. » Quod utique fecerunt illi, qui Jezabel reginam prius tam florentem, postea a canibus devorata dixerunt: *Haecine est illa Jezabel?* Illa tam superba, orandi corporis tam studiosa, quam modo pictis stibio oculis et capite mitra redimito vidimus, quae toti regno ipsique regi imperabat? IV. Reg. IX. Vidit hoc etiam ipse Rom. Seneca, qui alicubi scripsit: *Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit.*

VI. Precatio fervens et assidua. Hanc medicinam indicat Salomon, Sap. VIII. cum ait: *Ut scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, adi Dominum, et deprecatus sum illum e totis precordiis meis.* Quamquam enim ad omnia vitia expugnanda et virtutes comparandas indi-

genus Dei auxilio, adeoque et oratione, maxime tamen ad vincendam libidinem, (quia potentissimus hostis est, plane hominem excæcans) et acquirendam castitatem, angelis cognatam, hominibus quasi peregrinam. Itaque oratio, et quidem fervens, hanc impetrare poterit, praesertim si amoris Dei conjuncta sit: *Amor enim amorem excludit, et ignis spiritus ignem,* inquit Joan. Climacus, quemadmodum et aqua frigida frigus e membris extrahit. Certe Joseph amore domini sui, qui omnia sua ei crediderat, excussit amorem impurum domine suae, Gen. XXXIX. Quis enim amans Deum, possit ei praefere vilem voluptatem? Quis destruere ejus imaginem? Quod si etiam lacrymae ex hoc amoris fonte profluant, tanto fortior erit precatio. Ita enim S. Laurent. Justinian. hom. de poen. scribit: *Vitium libidinis, quod membra incestat, lacrymarum ubertas extirpat;* et Hugo Victorinus, l. de carn. nuptiis vit. « Duobus modis, inquit, ignis extinguitur, scilicet dum subtrahuntur ligna, vel aspergitur aqua. Sic luxuriae flamma, dum subtrahuntur carnis incentiva, vel dum mens irrigatur lacrymarum affluentia, suffocatur ne noceat. » Egregium hujus rei exemplum refert Sanctus Odo II. abbas Cluniacensis de Sancto Ceraldo comite Aurelianensi adhuc juvene, cui humani generis hostis: « Quendam juvenulam ejus oculis ingessit. Qui dum in ea colorem nitidulae cutis incautus attenderet, mox in delectatione illius mollescere cepit. O si protinus intellectu conspexisset, quid sub cute lateret? Quia nimirum nihil carnis pulchrum est, nisi fucus pellis. Avertit ille oculos, sed species per ipsos cordi impressa remansit. Itaqueangebatur, illiciebatur, et caeco igni adurebatur. Tandem victus mittit ad patrem puellam, qui se nuntiat nocte venturum. Secutus ille nuntium, violenter ad interitum animae festinabat. Interim vero, sicut solent captivi inter vincula, pristinae libertatis gementer memorari, suspirat Ceraldus, et consuetam divinae dilectionis dulcedinem recolebat. Et licet aegro affectu, rogabat Deum ne se illa tentatio penitus absorberet. Venit ad conditum, intrat hospitium puella, quia frigus erat, stetit in facie juxta focum. Ceraldum vero jam divina gratia respexerat, cui tam deformis eadem puella mox visa est, ut non crederet eam esse quam viderat, donec pater ejus ipsam esse assereret. At ille intelligens id non sine divino nutu fieri, quod eadem juveneula non eandem venustatem in ejus oculis haberet, mox ad Christi misericordiam se recollectit, et profunde suspirans concitus equum ascendit, et nil cunctatus, gratias agens Deo, raptim abire properavit. Ni-

mius aliorum trigeris tum forte ingruerat, cui se tota nocte torreris permisit, ut scilicet pravæ delectationis teporem glacialis asperitas puniret. Jubet autem protinus patri, ut hanc nuptui traderet. Quam et libertate donavit, et quoddam prædiolum jure testamentario concessit, » apud Surium, 18. nov.

VII. Dignus et frequens sanctæ communionis usus. Nihil profuere hæmorrhoidis medicinæ aliæ, profuit tactus Christi. Ergo si forsân prædicta remedia nihil dum effecerunt, adhibeatur hoc postremum, quo Christum in eucharistia, cum omni reverentia et humilitate tangimus: *Quod si solo tactu Christi, (ut in hac muliere) corrupta reintegrantur; quomodo nos vivimus et manducamus?* ait Divus Cyrillus Alexandrinus, libro IV. in Joannem, capite XIV. Est enim ibi: *Vinum germinans virgines, Zachariæ IX. Merito de hoc intelligimus, quod Sanctus Ambrosius de Christo scribit in caput V. Lucæ: Novum medicamentum novus magister advenit. Hoc de terra non pullulat, imprudens est omnis creatura hujus confectionis. Venite omnes, qui incurritis peccatorum varias passiones; utimini peregrino medicamento, quo venenum serpentis excluditur: illius nimirum serpentis, qui suo afflatu carnis incendium in primis parentibus eorumque sobole excitavit. Selenus amnis vim habere dicitur extinguendi cupiditatem carnis et amorem, teste Pausania, in Attic. Longe nobilior Seleno fons est s. eucharistia, qui ut ait Sanctus Chrysostomus (apud Corn. in illum textum): Impuri amoris flammam restinguit, et regiam in nobis reformat imaginem.*

Vidimus non deesse remedia huic morbo, quamquam difficillimo. Superest nunc, ut præscriptis utantur medicinis qui medela indigent: culpa alioquin sua, si pereant, peribunt. Audiunt enim alioquin illud Jer. VIII. *Numquid resina non est in Galaad? Aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiarum populi mei?*

CONCIO II.

INANIS GLORIA, GRANDIS IGNOMINIA.

I. Quia ludibrio dæmonum hominem exponit. — II. Servum facit ambitiosum. — III. Hominis inanitatem ostendit. — IV. Stultitiam ambitiosi prodit. — V. Exploditur ab hominibus. — VI. A Deo despicitur ac deprimitur.

THEMA.

Exiit fama in universam terram illam, Matth. IX.

Profundum apostoli Pauli dictum est, I. Corinthiorum I. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut*

confundat sapientes. Sapientes hujus mundi, ut famam sibi comparent, struunt ædificia et affigunt eis nomina atque insignia sua, adsciscunt magnificos titulos, ducunt pompas, adornant ludos et spectacula, typis vulgant stemmata sua; et tamen per hæc omnia parum aut nihil efficiunt: quomodo Hannon ille Carthaginiensis, qui, ad divulgandum nomen suum et divinos sibi comparandos honores, coemit plurimas aves, docuitque cantilenam illam: *Hannon est deus;* spe tamen delusus, et potius derisus est, quando emissæ aves et una cum libertate ad consuetum victum reversæ, cecinerunt non quod Hannon, sed quod natura eos docuerat, uti refert Ælianus, libro XIV. variarum historiarum, capite XXX. Aliam viam iniiit Christus, et quidem contrariam quam mundus stultam reputat: magnifica enim opera et miracula sua occultari jussit; uti hodiernum illud excitatæ a mortuis puellæ: *Præcepit illis vehementer,* inquit D. Marcus, cap. III. *ut nemo id sciret:* et tamen interim factum hoc Christi ubique divulgatum est: *Exiit fama hæc,* inquit Matthæus, *in universam terram illam.* Desipit ergo mundus, quando per inanem gloriam comparare sibi famam et honorem quærit, cum eo modo perdat et extinguat potius; id quod hic ostendere conabimur.

I. Vitium istud hominem ludibrio dæmonum exponit. Illi enim, quando armis suis vincere nos nequeunt, nostris nos invadunt, convertendo opera nostra bona in tela et retia ad sternendum et capiendum nos, dum, iis dilaudatis, ad inanem gloriam evehant: *Vitiorum auctor dæmon,* inquit B. Fulgentius, epistola III. ad Probam, cap. XV. *in eo, quod non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis: armis quibus eliditur, surgit, et virtute qua dejicitur, dejicit: laudat, quæ se prospicit superari, virtutem, ut victus possit captivare innocentem.* Hinc ipsum aggressus Christum, cum se aliis armis nihil in eo tentando proficere cerneret, ad ejus laudes recurrit, clamans: *Scio quis sis, sanctus Dei,* Marci I. verum a Christo repulsus et tacere jussus est. Mirum diabolici hujus ludibrii specimen recenset Climacus, gr. XXI. « Notavit, inquit, quidam ex his, qui videre acutius poterant, narravitque quod viderat. Cum sederem, inquit, in cœtu quodam, advenientes ad me, cenodoxiæ et superbix dæmones juxta me ex utraque parte sederunt, et unus ex his quidem digito suo illo novissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto a me gestum loquerer. Quod cum a me expulsem dicens: Convertantur retrorsum et erubescant qui mala cogitant mihi;

protinus is, qui a sinistris erat, ad aurem mihi dixit: Eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui imprudentissimam matrem meam viceris. Ad quem ego rite sequentes versus assumens, dixi: Avertantur statim erubescences, qui dicunt mihi: Eia bene fecisti. Eundem ergo cum interrogassem, quomodo inanis gloria sit superbix mater, ita respondit: Laudes, inquit, animam elevant et inflant; porro cum anima ad elevationem venerit, jam tunc illam superbix assumens, in cœlum usque attollit, et usque ad abyssos dejicit. » Ludunt ergo cum ambitioso dæmones, uti pueri cum pila, in altum eam projiciunt, ut ad manum decidens fortius percutiatur, et procul elidatur. Ludunt uti vulpes ludere cum vespis solet; caudam enim suam hirsutam in vulparias cellas immergit, et ubi vespæ magno numero ei, velut ulturæ suis aculeis injuriam, adhæserint, ad terram vel parietem allidit: ita vespas necat, et postea earum favum devorat impune, uti refert Ælianus, libro IV. histor. anim. cap. XXXIX. Insidiatur etiam dæmon bonorum operum favis. At exerimus elationem? Srenue pugnamus contra exurgentem elationem? Tum ille: Euge! Belle! Acclamat: Jam vicisti, jam sanctus es. Cui si adhæreamus, tum allidit nos, et surripit favum nostrum. Aggressus est hac cauda Simeonem Stylitam in columna stantem, et parum abfuit quin jamjam adhæsurum caudæ, ad terram allideret. Etenim, ut Antonius ejus discipulus scribit in ejus vita, cap. VI. transformavit se in angelum lucis: « Fulgens in splendore cum equis igneis, et currus igneus apparuit juxta columnam, ubi stabat beatus Simeon, illuxitque cum fulgore et splendore quasi specie angeli fulgens. Et dixit diabolus blandis sermonibus: Simeon, audi verba mea, quæ tibi Dominus mandavit. Misit me angelum suum cum curru igneo et equis igneis, ut rapiam te, quomodo rapuit Eliam. Tempus tuum jam est. Et tu similiter ascende jam mecum in currum, quia Dominus cœli et terræ transmisit hunc; ascendamus pariter in cœlos, ut videant te angeli et archangeli cum Maria Matre Domini, cum apostolis et martyribus, confessoribus et prophetis; quia gaudet videre te, ut ores Dominum, qui te fecit ad imaginem suam. Et jam locutus sum tibi, ne tardes ascendere. Simeon, completa oratione, dixit: Domine, vis rapere me peccatorem in cœlum? Et elevans dextrum pedem, ut ascenderet in currum, levavit dextram manum, et fecit signaculum Christi. Cum signum crucis fecisset, continuo diabolus nusquam comparuit, etc. »

II. Servum facit ambitiosum, qui cupiebat

IV. PARS ÆSTIVALIS.

fieri dominus, quod testatur in primis Philo, lib. de Joseph: *Nam, inquit, qui auram populi captans, concionaturus locum superiorem extraxit, sicut venalitus servus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis.* Solebant enim venales servi in locum altiorem ascendere, ut omnibus conspicui essent, et emptores allicerent: quod ipsum etiam egit, qui gloriam hominum aucupatur: venalis est, emptorem expectat, cui se pro vana laude vendat. Imo Sanctus Chrysostomus, homilia XLIII. ad populum, mancipiis viliores assertit. « Non potest, inquit, gloriæ servus homo, non omnium servus esse, et ipsius servilior mancipiis. Non enim talia nostris præcipimus servis, qualia captivis suis illa: turpia et dedecore plena negotia loqui facit et pati: et maxime cum obsequentes viderit, imperia magis intendit. Fugiamus itaque, fugiamus hanc servitutem. » Sic ille. Certe qui sectantur gloriam, alios laudare prius et extollere eisque blandiri, nonnullos præter dignitatem colere debent ac solent, ut vicissim extollantur et æstimentur; seipsos deprimere, intra alios solent, ut aliis præferantur; ad infimum se locum ponunt, ut inde ad summum evehantur. Quare servile hoc vitium ad infideles tantum spectat, qui præter humanam istam et inanem gloriam, aliam quæ a Deo est, et veram et solidam nesciebant, adeoque nec quærebant: unde honestissimi quique ethnicorum a vanæ gloriæ aucupio continere se non poterant. Testis est Chrysostomus, homilia XXVII. in Joannem: « Da mihi, inquit, apud gentes aliquem omnibus affectibus et malitia liberum, non invenies. Nam qui apud eos magni habentur, et pecuniæ et ventri, ut aiunt, dominantur, maxime autem hominum gloriæ servierunt. » Unde: « Eum, qui honoris hic collati appetens est, ait Gregorius Nyssenus, de scop. Christ. Dominus inter infideles recenset, Joannis V. dicens: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? » Talis inter ethnicos fuit Plinius ille, cæteroquin homo moderatis valde moribus, qui lib. IX. epist. scribit: « Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero gaudeo et gaudere me dico. Et cur? Quia nescio quis alteri dixerit: Vides hunc? Plinius est. » O vilissima mancipia!

III. Inanitatem hominis ostendit et miseram nuditatem, dum vile honoris palliolum quærit ad se contendum; quod ita ostendit Dorotheus, de humilitate, doct. II. « Ut indutus quis purpura et serico, si ei injiciatur lacerna immunda, declinat illam et fugit, ne indumentum pretio-